

*Mandato relativo all'istituzione
delle Curie Generali due volte
l'anno, in cui giudicare i reclami
contro giustizieri e secreti, nonché
l'operato di tutti gli ufficiali.*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Mandato relativo all'istituzione
delle Curie Generali due volte
l'anno, in cui giudicare i reclami
contro giustizieri e secreti, nonché
l'operato di tutti gli ufficiali.*

1267-02-15

secreti, nonché l'operato di tutti gli ufficiali
Rex Karolus. *Universis Regni nostri fidelibus* per
Iusticiarios et alios officiales nostros pacis et justicie
copia libere ministretur, iidemque Iusticiarii et officiales
fideles ipsos opprimere vel gravare contra iusticiam non
attemptent. Statuimus ut singulis annis in kalendis maij
[et] in festo Omnium Sanctorum, Generalem Curiam,
in qua tractetur de hiis que Nobis placuerint et de
bono statu Regni, ubicumque fueritis, celebretur. Ad
quam utique Curiam omnes ipsius Regni Iusticiarii
veniant personaliter, et in presentia nostra conveniant,
nisi certa infirmitate vel alia necessitate inevitabili
prepediti, ut puta si status provincie talis esset quod
ab illa commode recedere non valerent; in quo utique
casu, qui venire non poterit mictat pro se notarium, qui
eius acta conscribat, et iudices suos vel eorum alterum,
sic sufficienter instructum ut querelantibus de se et
officialibus suis in eadem Curia, absque ulla exceptione
recurrendi ad suum dominum vel requirendi eum, possit
et sciat plenarie respondere. Sitque omnibus liberum
et licitum de Iusticiariis et eorum officialibus querelam
proponere coram Nobis, per vos vel illos quos ad
hoc deputavimus summarie de plano et absque iudicii
strepitu terminandam. Conveniant etiam in Curia ipsa,
in propriis personis, omni occasione remota, omnes
Secreti, Forestarii qui custodiunt nemora, massariarum
aratiarum et siclarum Magistri, et ceteri qui tenentur
Camere nostre reddere rationem, de receptis datis
et expensis computum posituri, nisi tales infirmitate
fuerint vel alia evidenti et inevitabili necessitate detenti,
et tunc mictant procuratores sufficienter instructos,
qui pro eis computent et Camere satisfaciant, et
respondeant conquerentibus, prout est superius circa

Iusticiarios ordinatum. Neque liceat cuique Justiciario aliive officiali, aut hiis qui pro eis venerint de Curia ipsa discedere sine nostra vel vices nostras tunc gerentis licentia speciali. Et si discedere forte presumpserint, aut si Iusticiarii alique officiales premissi ad prefatam Curiam non venerint, vel non miserint prout superius est expressum, habeantur pro convictis de querelis propositis contra eos. Omnes autem illi qui ad ponendam rationem Camere sunt astricti, reddant de omnibus, que obvenerint sintque data et expensa per eos, plenariam rationem, nec ullo modo discedant antequam ponant computum et Camere satisfaciant, vel per Nos licentiati fuerint, aut per illum, cui in Curia ipsa commiserimus vices nostras.

Datum Capue, per R. etc., XV februarii etc., ut supra.